



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vlrichi Hvtteni Eqvitis Germani Opera Poetica

Hutten, Ulrich von

[Frankfurt am Main], 1538

VD16 H 6395

Vlrichvs Hvttenvs Eq. Iulio Pflugk Eq. S. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13027

VL RICHVS HVTTENVS

Eq. Iulio Pflugk Eq. S. D.

VT tu quidem ualeas, multorum crebro ad nos relatione perfertur. De statu Germaniæ nescio an identidem tu intelligas. Proinde breuiter accipe: Primū uarij sunt hic motus, uerū ita occulti, ut uix aliquādo suspicione aliquid assequi liceat. Deinde maximas res agtans, plurimos hoc tempore Germaniæ proceres huc protraxit Cæsar. Si procedit quod ille molitur, nihil adhuc pigere nos debet horum temporum. Sin aliquid intercedet, quo minus expergefiat Germania, ille quidē merebitur gratiam, qui hæc conatus est, uerum nos aut in fatum, aut in illam Homeriam Aten reijciemus culpā. Certè iucundissimū hic omnibus spectaculū ob oculos uersatur. Tot principes, iuuenta simul & corporis specie præstātes. Tanta Comitum & Equitū multitudo, flos scilicet Germaniæ nobilitatis, ut qui hos intueatur, formidandos magnopere Turcas non putet. Quòd si hodie tantum cerebri est Germaniæ, quantū uiriū, ausim orbi terrarum minari iugum. Faxit Deus Opt. Max. ut sibi consulant hi, à quorū cōsilijs oīa pendent. Quid aliud optare enim debemus, quā ut nūc maximè agnoscat se Germania? Agit hic Legatus summi pontificis, in cuius mandatis est, excitare in Turcas bellū. Quā causam egit oratione, quæ qualis sit, uidebis, ubi editam ad te transmisero. Exigitur uiritim pecunia, quā in expeditionem infumere oporteat. Quid admissurū sint

Card. Cæ
ietanus.

EPISTOLA

Sicut Germani, adhuc in deliberatione uersantur. Si te-
 pus est, ut nos dii respiciant, neque Ducum est Iuli, ne-
 que militum inopia. Ipse mihi optima propono, et spe-
 concipio non exigua. Fœdus est hic conuentus.
 Nam et Regem Romanorum parturit, et meis lite-
 ris ac sua uirtute clarissimum per Germaniam principem
 Albertum Archiepiscopum fecit Cardinalem, ac Chri-
 stophorum Brunswigum in Archiepiscopatum Brema-
 sem extulit, et Casimiro Marchioni ex nobilissima Ba-
 uarorum domo nuptam conciliauit. Eadem si bellum Tur-
 cis inuehet, tum felices nos, quibus neque prius, neque po-
 steriori nasci contigit. Mea ad Principes exhortatio
 non editur in lucem, quod insunt quedam liberiora,
 quam ferat hæc ætas. Nosti quam in parte solcam præ-
 gnare. Sed non est ingenuitati locus. Petit et con-
 tra irruptiones Tartarorum auxilia Polonus per lega-
 tos. Ac quiddam est etiam Gallis negocij. Tum ab Hun-
 garis orator est Hieronymus Balbus, quod mihi summe pla-
 cet, minori apparatu nostri, quam soliti sunt alijs con-
 uentibus, agunt, siue ob annonæ difficultatē, siue quod
 in multis mihi respiscere Germania uidetur, quam
 est adhuc mira uestium luxuria, à Gallis sumpto ex-
 emplo quos præter patrium morem æmulari in hoc certamus, et
 strenue bibitur, nondum sanitatē accipientibus, qui re-
 etis semper monitionibus reclamare solent. Ut bene agan-
 tur omnia, obstinatissime studet Cæsar. Ipse mihi negocium
 his diebus feci, discurrendo, ambiendo, apprehendendo,
 dum optimum quemque ex aulis principum in partes Capni-

ONIS

AD IVLIVM,

vniuersis trahā, quanquā huc ultro illi cōcedant, nec iam
 opus sit parare nobis amicos. Ipsa causa emortua simi-
 lis est. Nihil .n. auditur, nisi quod Comes Herman-
 nus de Neuuenar Hogostrattum fertur Colonia expul-
 lisse, propter impurū nebulonis figmentū, in quo ho-
 minē prosciderat. Ex Gallia scribūt, Faber, Budæus,
 Ruellius & Copus, nihil istic esse Capnionis noīe ce-
 lebrius, et Theologistis ademptā omnem penitus spē.
 Vos in Italia quid agitis? Aut quod ipsi quoq; incen-
 dium constatis? Sed ad illud iterum uenio principum
 decus Albertum. Quod præter Romanum morē fa-
 ctum omnes putant, gratis illi misit Galerū & pur-
 puram Leo. X. tam ob persuasas sibi multorum com-
 mendatione hominis uirtutes, quā ut gratificaretur
 puto Cæsari, qui Alberto mirè fauet. Darius hoc pie-
 tati ipsius, & propenso in bonos omnes studio. Kalē-
 dis Augusti Galerū sumpsit ille, apponente Legato pō-
 tificio. iucundum fuit id spectaculum, maxima nobi-
 litatis frequentia facto sacro, ac ingenti omnis gene-
 ris hominum circumfusa multitudine. Ipse Cæsar à sa-
 cris domum reduxit Albertū, deinde munera misit,
 regiam lecticam, equos, & tapetes opero simul ac ma-
 teria admirabiles. iuxta hæc Leonis Maximi donum,
 gemmis, auro ac margaritis intextum pileum, & en-
 sem deaurata uagina. Sequentibus uero aliquot die-
 bus Magnates officium fecerunt, ad illum uenien-
 tes, congratulādo ob noui honoris accessionem. Deus
 bene uertat, ac spem foueat meā. Neq; enim potest ille

EPISTOLA

NON charus esse dijs, cui tantus breui tempore honorū
 cumulus, non ambienti etiam sese offudit. Timothei
 fortunā dixeris, de quo illud aliquādo diuulgatū est:
 εὐδ' οὐτι κ' ἄγρος ἄγρι. De me sic habe. Adhuc in Al-
 berti Principis aula exerceor. Scripsiq; per negocia,
 quantum licuit, præter Orationē ad Principes exhor-
 tatoriam, Dialogos aliquot, inter quos est De uita au-
 lica, non omnino contemnendus arbitror, quem nunc
 edere paro. Nam hic composui Stromeri medici in-
 stinctu, qui me singulariter amat, & quem ego uicis-
 sim unice colo. Nemo reuixit, & ad Crotū mittitur.
 Super quo nugamento debes Itolorū iudicia explora-
 re. Erasmus Basileæ agit, noua iterum cudes. Philip-
 pus Melanchthon præter ætatem eruditus iuuenis,
 Vuittembergā accersitus est, nō illiberali salario Græ-
 cas literas ut doceat. Quò etiā, qui Hebraica prælea-
 gat, quæritur. Thomas Anshelmus Haganoui Plinia-
 um unā cum indice typis excudit. Magna est studio-
 sis omnibus cū barbarie lucta, spe ingēti fore, ut per-
 uincamus, ac literæ uigeant. Iam enim despectius au-
 diuntur magisterculi, et recta se ubiq; studia excitāt.
 Hæc uolui, ne ignorares. Ipse aliquid ad me uicissim
 ex Italia, præsertim de statu Bononiensi scribito. Cro-
 tum commendo tibi, ut pro tua in doctos homines be-
 nignitate obserues. Præterea ex me salutabis istic Io:
 Mariam Iureconsultum, & Sauromanum Silesitanū,
 cum alijs omnibus nostris. Ipse optimè uale, ac me a-
 ma. Augusta Vindelicorum. IX. Kalend. Septem-
 bris, Anno. M. D. XVIII.